

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

concedendi, adèdque & cohortandi eundem, ut sequeretur vocationem, quod utrique vestræ celeberrimæ Scholæ & Collegio sancto consultum cupiamus. Et eminentè certè in hoc viro ea dona, quæ accommodatissima ad ejusmodi functionem videantur. Sed in præsentia res & ipsius & nostræ sic comparatæ sunt, mutare ut locum non possit. Nam quod artem, quam exercet, Medicam attinet, eo usque jam innotuit, ut praxeos habeat copiosam materiam, quæ illi apud vicinos & cives in dies accrescit, ut deinceps liberaliter sustentari cum suis queat, maximè ab obitu D. Jo. Huberi, medici celeberrimi, quod factum, ut frequentes ad ipsum concurrant, ejusque ope utantur. His accedit, quod Collegium nostrum Petrinum hunc profecto solum habet columen, quo amisso, certum sit totam eam œconomiam, non debilitatam solum modo, sed dissipatam etiam iri, idque non sine gravi Academia nostræ jactura, quæ ex hujus proventibus Stipendia capit. Et ea agitantur jam consilia, ut caput Collegii ad proximum S. Joannis festum constituatur, ut par est, cum salarii auctione; sed coràm fufius omnia, quum ad vos venero. Decevi enim, volente Domino, circa Calendas Majas istuc proficisci, ut animum meum colloquio tuo exatiam. Simul etiam de subscriptione meam & fratrum sententiam indicaturus. Pergimus in Domino constanter & veram de sacro Mysterio doctrinam notissimam & testatissimam facere conatu serio studemus. Filii tui valent commode & faciunt officium, evasuri in egregia Christi organa, si, ut hæctenus, ipsius fuerint spiritu gubernati. In Galliis non profusus cessant tumultus. Nam nuper Rothomagi & Aureliæ à Papistis sævitum est in Evangelicos à Concione sacra domum revertentes. Agrè id se ferre simulat Rex, nec tamen justa severitate violentiam arceret aut punit. Bene vale in Christo JESU, cum familia & Collegis. Salutant te Coccius & Füglinus. Scripsi Basil. 10. April. Anno 1571.

T. A. totus & ex animo frater

Sulcerus.

XLII.

S Grata mihi fuit D. Isaaci ad vos profectio, quod ea occasione certior fieri de tua valetudine possem; quæ afflictæ me etiam adfligit. Nam si ulli mortalium ^{corpulentis}, tibi certe maxime, cujus operam tam video Ecclesiæ necessariam, quam quæ maximè. Precor ergo sospitorem nostrum Jesum, ut te suo restituat, servertque pogulo incolumem. Ego ut scias, peregrinationem commodè tuli, & satis magnis

con-

confectis itineribus senex lassitudinem nullam sensi, ubique peramanter exceperis, & tantum non beneficiis officiisque, sicut & apud vos mihi contigit, obrutus. Dominus sit piis omnibus benignus remunerator. Duduci reperi, per DEI gratiam, doctrinam sinceram, & in ea consentientes Ministros, Principem pientiss. erga religionem affectum, apud quem non difficulter, quæ petebam; obtinuisse mihi videor, quia benigne promisit favorem & curam eorum, quæ ad Ecclesiam & scholam pertinent. Cæterum D. Andreae studium, in subscriptionibus postulandis, non satis probari illic animadverti, eo quod metuant, ne contentionibus Saxonis involvantur, deinde ne hæc ad condemnationem exclusionemque Electoris Palatini à pace Imperii spectent, ut illinc graviora controversiæ incendia, hic verò bellum hostile, forte subsequantur. Mirius sentit D. Rupertus, cum quo Pfortzhemii contuli, hortatus tamen D. Andreae sum, ut ante Synodum, quam instituerunt Marchionis, ipse coram cum D. D. Ruperto colloquatur, uti ipsius intervntu suspiciones certis argumentis eximantur & Ministris fratribus, & politicis quibusdam, uti, quæ ego egi & urli apud eosdem, magis confirmantur. Negocium pium & Ecclesis necessarium suscepit, eximius Christi servus, sed plenum difficultate, sicut solent esse omnia, quæ serviunt veræ ædificationi pia molimina. Principatus Philiberti graviter periclitatur, licet permulta tentarit Carolus Marchio; pervicit enim & effecit Bavarus, ut Imperator persuasus sit, religionem Evangelii artificio aulicorum quorundam subditis invitis esse obrusam. His accedit, quod cum gemitu mihi quidam dixit, ministrorum quorundam modica pusillanimitas, suis potius commodis quam Ecclesiarum saluti intentorum. Tubingæ vidi Doctorum consensum & Zælum ardentem, quibus diurnam pacem & felicem studiorum successus precor ex animo. Filios tuos domum reversus hortatus sum, sacris studiis operam potissimum impendere, quod iis à te patre sint consecrati, quod paulò post & Scholæ & Ecclesiæ præstare operam frugiferam possint. Huc ergo ut toto pectore incumbant, ut & gradum aliquando faciant in sacro sancta professione. Annuerunt illi facile, sed tuas tamen literas expectant, ad cujus voluntatem nutumque se non gravatum pro sua pietate accommodabunt. Ego interim, quod in me est, filiis charissimis non defuero. Cæterum quod beneficia & humanitatem attinet mihi exhibitam, à te & reliquis symmiltis & professoribus, gratiam habeo maximam; fuit ea mihi conversatio sic grata & jucunda, ut vix alia magis. Agit & gratias mea uxori tuæ honestiss. matronæ, pro munere misso, compensatura, si quo possit officio erga filios. Commendo te gratiæ Dei & me sanctissimis tuis precibus. Uxori, filiabus & filio, symmiltis item fratribus & professoribus salutem ex me dicas, amanter & reverenter. Salutant T. d. Coccius & Füglinus. Scripsi Basil. 12. Maji, Anno 71.

T. d. totus ex animo frater

Sulcerus.
XLIII.